

## FUNDAMENTVM

*laris corporis motu descripta: quæ via seu orbita solis, solaris periodus dicitur, de quâ suo loco inter reliquias reliquorum planetarum periodos dicemus.*

Et licet ipsa Ecliptica reuerâ ac per se omnium peripheriarum rectissima, atq; omnino immutabilis ac inuariabilit exsistat, per accidens tamen, (cùm nempè Axis mundi pertransiens terram atq; pertingens virumq; Mundi polum, ipsam Eclipticam obliquè pertransit, ideoq; circa ipsum Axem Mundi, respectu Eclipticæ, omnia corpora mobilia obliquè circumferuntur ac per aërem voluuntur) per tale inquam Accidens, ipsa Ecliptica, vt nobis videatur, obliqua dicitur, atq; obliquis adnumeratur.

Omnesq; Rectæ sese inuicem bisecant, constituuntq; inter se vtrinq; angulos Rectos sphæricos: vt & obliquæ duæ Aequator & polaris. Omniaq; duarum sese mutuo bisectum altera Diameter vnius existit Axis reliqua.

Ecliptica vero & Aequator intersecant sese mutuo ad angulum sphæricum Acutum, quantitate seu Amplitudine plus minus  $23\frac{1}{2}$ . graduum. Ideoq; Ecliptica & polaris prioris complemento  $66\frac{1}{2}$ . graduum. Siquidem omnes sese inuicem recte intersecantes distant inter se per quadrantem Maxima, seu 90. gradus. Obliquitas vero, quâ sese inuicem intersecat Recta & obliqua, variatur pro quantitate Eleuationis poli in quocunq; terreni globi loco. Sub ipso autem Aequatore degentibus hæc obliquitas minimè apparet: Verum ibidem Aequator & orientalis, item Horizon & polaris, inter se mutuo coalitu in vnam atq; eandem Maximam coincidunt abeuntq;. Ideoq; & ibidem sphæra Recta, in omnibus vero alijs locis inq; vtramvis partem extra Aequatorem, sphæra obliqua dicitur. Cuius obliquitatis mensura est penes Eleuationem alterutrius poli.

Cæterum, illa obliquitas seu angulus quo sese Ecliptica & Aequator mutuo intersecant, per singula seculatum quantitate tum loco mutari ac variari creditur. Ad quantitatim autem mutationem quod attinet, non sine evidente causa ac ratione meritoq; de eâ dubitare possumus: quam litem ac dubitationem dirimendam ac disputandam in nostram Astronomiam Historicam, ad quam propriè spectare videtur, reseruabimus. De alterâ vero mutatione seu variatione, quæ mutato ac variato loco contingit, cùm ea nimirum ipsi Experientia ex factis observationibus consentanea sit, nulla omnino nobis de eâ relicta est dubitatio; licet tandem nondum satis explorata habeatur: Eaq; mutatio vulgo præcessio Aequinoctiorum, nobis autem proreptio Aequatoris dicetur. Proreptit enim serpitq; retrorsum sub Eclipticâ Aequator, contra mobilium corporum motum, vt & omnes reliquæ periodi planetarum, vt post suo loco patebit. Puncta autem, in quibus è Diametro oppositis binæ quæq; Maxima se mutuo intersecant, varijs insigniuntur appellationibus: Dicitur enim punctum in quo se mutuo

Meridiem, Australē.

Meridiana versus

Septentrionem, Boreale.

Horizon &

Orientalis versus

Ortum, Orientale.

intersecant

Occasum, Occidentale.

Merid.